

pit. Turcæ in urbem vacuum ingressi a nullo barbaræ crudelitatis exemplo abstinuere; domos diripuere; in ædes ac templa sæviere; publica privataque ædificia concremavere; ingentem prædam, bellica tormenta aliquot avexere; triremem instrui cœptam, atque vindemiæ cuncta instrumenta, immensumque cadorum numerum (cum ea præ ceteris ferax regio vitibus sit) incendere: in sepulchra quoque sævitum, e quibus eruta defunctorum ossa, ac cineres in auras, execrando ipsis quoque hostibus facinore, dispergebantur; cujus immanissimæ impietatis irato Numini poenas haud immeritas perfolvere, nonnullis triremibus vento abreptis, atque in propinqua litora impulsis, compluriumque cæde disiectis; multis quoque, quos prædæ cupido palantes longius abstraxerat, ad duo millia a militibus, atque ab incolis cæsis. E Creta hostes Cytheram delati multis damnis, ac cladibus incolas affecere. Inde Aegialiam devecti, ibique nonnullis eorum, qui a Selymo defecerant, vicis vastatis, atque incensis, eodem cursu Zacynthum pervenere. Paulus Contarenius, vir spectatæ prudentiæ, ac virtutis, cunctis ad civitatem tuendam necessariis instructis, ex suburbio insulaque complures cum pretiosiori suppellectile intra arcem coegerat; hostium egressum incolæ aliquantisper remorati, cum impares viribus essent, ipsi quoque in arcem se recipiunt. Eam difficulter expugnari posse Turcæ rati, per insulam effusi, immensam vitium copiam, quibus maxime Zacynthus abundat, incidere; suburbium illud satis amplum, injecto igne, cremarunt.

Ceterum de Turcicæ classis in Cretam appulsu Venerius imperator certior factus, quod percussi foederis fama hostes ulterius sese non illaturos speraret, Corcyræ subsistere decrevit; tum quod ibi socias classes convenire statutum fuerat; tum ne, si inde discederet, nonnihil de concepta in omnium animis nuper initæ societatis opinione imminuere verebatur; demum ne, insulis penitus relictis, populos ad extremam pene omnium rerum desperationem adigeret. Ea de re cum ad Senatum literas dedisset, in magna trepidatione Patres versabantur, variaque animis subiciebant, quæ miserrimam horum temporum conditionem facerent. Hostes in Cretam ingressos cuncta ferro, flammaque depopulari; nostrorum exploratis im-

1571
Rithymna
ab incolis
deserta a
Turcis ca-
pta & dire-
pta.

Turcicæ
triremes ad
Cretæ litora
illisa.

Pauli Con-
tareni opera
in Zacynthi
custodia.